

non de illa est, nec de ea egreditur, nam res est alia. In nullo, uti antea diximus, metallo est: Si enim in metallo aliquo esset, tunc haud immerito aut in Sole, vel Luna esset: cum autem Luna non bona fiet, quomodo igitur, obsecro, aliquid de se boni parere poterit? Nec in Mercurio, aut sulphure aliquo, vel Sale, nullis in herbis, vel id genus aliis rebus est, quemadmodum illius rei postmodum certiores fietis. Hisce exhortationem nostram conclusam volumus, & nunc res ipsas enumerabimus.

292 215 263.  
443.

## SE QV VNTVR NVNC ALIQVOT

*lapidis nostri cognitiones.*

### P R I M A.

SCias, mi fili, quod lapis noster lapis vnus fiet, & haud immerito lapis appellari poterit: Lapis enim est, qui à Natura aliter nominari non potest, quam LAPIS PHILOSOPHORVM: nec aliud ei nomen competit, nomen illud siquidem cum natura conuenit. Loquor ista, reuera namque lapis est, nec vnus quidem lapis est, sed, ob similitudinem, lapidem appellamus. Lapis enim ita comparatus est, ut quatuor in eo elementa lateant: quocirca etiam diuersimoda nomina illi sunt indita, & varias simul species habet, & tamen saltem vna res est, nec illi similis in terra reperitur. Vnus lapis, & nullus lapis est, nec vllius lapidis speciem atque naturam habet, & tamen lapis est: Ignis est, & nullam ignis speciem & naturam habet, & tamen ignis est: Aer etiam est, nec vllius aeris formam naturamque habet, & tamen aer est. Aqua, nec

Nn

aqua